



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica S. Pentecostes

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## Dominica S. Pentecostes.

## EXHORTATIUNCULA I.

**D**Urum est ô fili ! resistere Spiritui Sancto, vel Eum contristari. Et quoties non contristavimus ? negligendô Illius Divina lumina ? sit tandem finis ingritudinis nostræ, & audiamus, quid tantus Hospes nobis imperet, videlicet: *declina à malo, & fac bonum.* En ! peccatum horret, & virtutem desiderat. Negabimusne ? absit !

*Instructio meritoria.*

Proin ut in fuga, & horrore peccati crescamus, magis, magisque virtutem æstimemus, hodie ordinario Rosario jungamus & alterum sub Mysteriis Gloriosis. Manè excitati à somno, statim elevemus oculos ad cœlum, & Divinum Hospitem invitemus inclamantes : *Veni ô S. Spiritus ! reple tuorum corda fidelium.* Sponsam sponsum venerari decet.

## II.

**N**escitis, quia templum Dei estis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. Fili ! si hoc, necesse est, ut caveamus  
quàm

quàm diligentissimè, ne vel sensus, qui templi hujus sunt januæ, vel cor, quod est sanctuarium, curiositate, aut evagatione foedetur. Simus ergò custodes internæ puritatis.

*Instructio meritoria.*

Ne amittamus, solitarii vivamus ad unam, vel horam alteram. Sic oculi, sic & lingua in quiete erunt. In solitudine verò nostra colloquamur Spiritui Sancto, orandò flexis genibûs 12. *Pater & Ave* in venerationem duodecim Fructuum Spiritûs Sancti accedite, & illuminabimini.

III.

**H**eu! quæ lecta sunt nobis verba Christi! *Cum venerit Ille, arguet mundum de peccato, quia in me non crediderunt.* Spiritus proin veniet Domini, ut condemnet infidelitatem, vel potius fidem mortuam tepidi Christiani, qui cum Christum Jesum verè cognovisset, non tamen sicuti Deum glorificavit; quia fidei suæ per mores corruptos infamiæ notam aspersit, & per improbam vitam divinas impugnavit veritates.

tes. Fili! quæ est vita nostra? si sine operibus bonis, judicabimur graviter. In Jesum credimus? *Fac opera Christi, ut vivat fides tua*, ait S. Bernardus.

*Instructio meritoria.*

Capimus? nulla proin hâc die nobis prætereat hora sine labore, aut pietatis exercitio. A prandio speciali visitatione veniamus ad Jesum, & coram Sanctissimo 15. *Pater & Ave* cum *Credo* persolvamus in honorem quindecim SS. Mysteriorum Vitæ Jesu. Otium fugiamus & ardebimus Spiritu Sancto.

Feria II. post. S. Pentecosten.

EXHORTATIUNCULA I.

**N**ulla in discendo mora datur, ubi Spiritus Sanctus Doctor adest. *Tace*, fili mi! *quiesce*, & *late*. Tunc audies, quid tantus cordi tuo loquatur Deus. Quis nescit, quantum homo indigeat illius alloquiô?

*Instructio meritoria.*

Id ut mereamur frequentius, semel hâc hebdomade saltem nos subtrahamus publicæ conversationi. & locò hujus  
adea-